

beneficentia illustra fecit. Nam cum per necessitatem mortis amississet patrem, virum è primâ Westfaliæ nobilitate opulentum & clarum; mater, quæ Christianis sacris jam imbuta erat, vidua mansit, vitæ illud genus certo pioque animo complexa: ad quam dum defuncti conjugis frater accederet, homo superstitione paganus, specie quidem honestatis & solatij, re autem libidinis explendæ causâ, per vim stupro comprimit. Quod facinus averfata mulier, ut primum corruptoris manus evasit, è vestigio Carolum Regem adit, & quæ dolor inter lacrymas dictabat, libera voce proloquitur, tutelam simul & vindictam à Rege petendo. Utq; Regis animum inflecteret, Meinulphum puerum, quem triennem, aut quadriennem liberali vultu alebat, in conspectum Regis secum adducit. Annuit Rex postulatis, multumque injuriæ condolens, Meinulphum in tutelam suscipit; idque sollicitè statim agit, ut puer sacro nondum lavacro regeneratus fonte baptismatis abluatur. Prona ad hoc mater filium offert, quem Carolus ipse sponsor è fonte baptismatis sustulit, & impensè Sacerdotibus educandum commendavit; qui exinde per ætatem maturior, ab Hathumaro Episcopo literis excultus, & in Clerum adscriptus, præclaræ indolis & sanctimonix specimen dare cœpit.

Annus Christi 784.

Hadriani Pont. 13.

Caroli M. Franc. Reg. 17.

Anno hoc Christi octogesimo quarto supra septingentesimum, ut primum veris opportunitas adfuit, festinavit Carolus in Saxoniam, ad belli reliquias comprimendas, totamque gentem, quantum trans Visurgim ad Albim usque ripas incolit, armis subigendam. Quare exercitu ad Lippenheim, seu ad ostia Luppix influentis in Rhenum traducto per flumen, primorum latè Westfalorum pagos peragrat vastatque; explorando simul, an uspiam rebellium receptacula, & factionum capita reperirentur. Purgatâque Westfaliâ, ad Visurgim inferiorem castra movet, transiturus ad Albim, & Aquilonares Saxonix Regiones, quibus in Transalbianos, Holsatiam & Daniam se porrigit; quòd ex ijs oris Widekindus se infestus effunderet, profugusq; ex proximis prælijs crederetur in Transalbianos & Nortmannos latitare, ad novas turbas conflandas: Verùm ab hoc consilio prohibitus est, fœda pluvijs anni parte, & aquarum inundationibus. Igitur reflexo in Orientem expeditionis consilio, in Thuringiam movet; filio interim Carolo cum parte exercitûs in Westfalia subsistere jussit. Prospera per æstatem utriusque expeditio. Nam Rex progressus in campestria Saxonix, ubi hæc Albi & Salæ fluminibus ad-

Ann Franc.
Carolus
rursum
Saxoniam
ingreditur.

Ex eaque
excedens
filium
Westfaliæ
præfectum
relinquit.

C

jacet.